



LATINÆ  
GRAMMATA.  
TICAE PARS PRIOR,  
SIVE  
ETYMOLOGIA LA-  
tina in usum rudiorum.



*Necessaria nescire necesse est, qui non  
necessaria didicerunt.*



EDINBURGI  
EXCVDEBAT ROBERTVS  
*Walde graue Typographus*  
Regius. 1595.  
Cum Privilegio Regio.



*Summa & ordo Librorum.*

Sex Primis libris explicantur dictiones variatæ:

1. Nominum genera.
2. Nominum declinationes.
3. Adjectiva: item nominum Comparationes & derivationes.
4. Pronomina.
5. Verba.
6. Participalia & Participia.
7. Dictiones non variatæ.



MAGNIFICO,  
 AC VERE NOBILI  
 DOMINO, D. IOHANNI,  
 Comiti Castiliffæ, Kennedi Re-  
 gulo, Baroni in Dunure, &c.  
*Carietæ* Præfecto, ac Collegij  
 apud Andreapolin (cog-  
 nomento *Servatoriani*)  
 Patrono,

*Domino suo amplissimo, Salutem  
 in Christo sempiternam.*



*Rudienda teneræ iu-  
 ventuti admotus, (il-  
 lustris. Comes) Nihil  
 prius habui, aut anti-  
 quius, quam ut proxi-  
 mè ac secundum pie-  
 tatem quam brevissima, blandissimaq;  
 via Grammatica stadium decurreret,  
 propositumq; finem assequeretur. Nam  
 fla-*

## EPISTOLA.

dio cogitare cepi, tandemque hoc  
 quicquid est, illorum causa dedi.  
 Familiaria sunt omnia & in medio  
 posita: versus nullus. Quid versus  
 in his, nisi obscuritatis & difficul-  
 tatis parens? Obtenditur forte me-  
 moria, versusque ei melius servire  
 contenditur. Servit forsan, sed me-  
 moriæ verborum: rerum memorię  
 nil æque officere, ac obscuritatem,  
 prolixitatemque, quæ a versus sunt,  
 novit, quisquis quicquam recte no-  
 vit. Versum ergo, redundantiaque  
 omnia & obscura, abesse placuit:  
 ut nil jam sit, quod difficultatis no-  
 mine pertimescant tenelli isti, aut  
 quicquam expectent, nisi quod ad  
 latini purique sermonis in loquen-  
 do & scribendo usum (utpote gram-  
 maticorum finem) proprie est ac-  
 comodatum. Tot enim regulas cu-  
 mulare, aut græcissimos & excepti-  
 ones omnes persequi, & vanum, &  
 supervacaneum existimavi. Quid  
 hæc

## EPISTOLA.

hæc, & pleraque id genus ad eos,  
 qui ad mercaturam, ad nauticam,  
 ad agriculturam, ad sartoriam, aut  
 futuriam suas cogitationes dejici-  
 unt: aut qui etiam altius aspirant.  
 Quid multis? Potissimum cavi ne in  
 his nimis Grammaticus existima-  
 rer. Prolixitas illa ac nimia diligen-  
 tia in Grammaticis, quid emolu-  
 menti habet, nescio. *Quicquid præ-  
 cipies, esto brevis*, (inquit ille.) Si cui  
 placet prolixitas, in bonorum au-  
 torum usu, non in Grammatico-  
 rum præceptionibus suaderem il-  
 lam consecrari. Via expedita quan-  
 tum fieri potest, esse debet. Loqua-  
 tur circumforaneus eface, *Andre-  
 apolin* iturus, utram viam ingressu-  
 rus sit? Expeditam, planam? an  
 absque necessitate, longam, per-  
 plexam, salebris ac anfractibus im-  
 peditam? At ad sermonis usum  
 Grammatica via est. Cur igitur,  
 Scholarchę, tenellos illos rectam vi-  
 am

EPISTOLA.

am vos poscentes non recta ducitis  
 Qua conscientia per ambages, avi-  
 asque solitudines ac multiplices vi-  
 arum flexus circumducitis? Ergo  
 (ut ad vos veniam, honorati viri,  
 quos affari cepi) cum labor hic ju-  
 ventutis vestrae causa susceptus sit,  
 danda vobis est opera, ne frustra  
 susceptus, aut male collocatus vi-  
 deatur. Quin este ijs autores, ut  
 quod ipsorum commodo factum  
 sit, in commodum suum vertant.  
 Ante omnia viam pietatis ijs prae-  
 te: (nam impietati Dei ira & exe-  
 cratio comes est.) Orate Deum, ut  
 vobis, illisque benedicat. (Quid?  
 Vultis beneficium, nec vultis pete-  
 re?) Adsit interea studium in illis  
 monendis & castigandis. Absit in-  
 dulgentia. Quorsum indulgentia  
 nisi ad Gemonias & furcas? Parcitis  
 virgis? At animabus vestris non  
 parcitis. Hanc vestri officij partem  
 ad scholarum rectores forte transf-  
 feretis.

EPISTOLA.

retis. At qua lege? Vobis praecepit  
 Dominus flagris subigere: induit  
 vobis (parentes) hoc jugum: num ju-  
 gum Dei exuetis, ut illi induant?  
 Quo jure? dubito, num ullo: imo,  
 scio, nullo. Schola ludus est, non  
 carcer, aut carnificina. Amore al-  
 licienda sunt tenera illa ingenia,  
 non trahenda timore. Alioqui, mi-  
 nime mirum est plerosque, ubi sui  
 fiunt, literas tanta cum bile ac acer-  
 bitate ingestas, cum bile egerere  
 & detestari. Parentes, vestra inter-  
 est, ut liberi ament scholam. Num  
 id facient fletus & flagra? An non  
 fatius est, ut scholam frequentare,  
 quam domi latitare malint? Quasi  
 vero id sitis assequuturi, si domi in-  
 dulgentia, in schola terror ac feru-  
 lae dominantur! Videbor forte mo-  
 vere camarinam: sed videbor modo  
 nec camarina est. Verum de hoc i-  
 terum, ubi opus. Iam satis. Tan-  
 tum in praesens volo hoc esse pig-  
 nus

EPISTOLA

nus ac monumentum benevolentiae meae erga vos vestrosque, observantiaeque; nullo unquam tempore intermorituræ. Valet in Christo, christianiff. viri.

*Vester in Christo Iesu,*  
A.D.



**P**Leraque rudi etati minus necessaria, minutiori forma expressa alicubi textui subiecimus, alicubi ad marginem adiecimus: Ad calcem vero libri, sylvarum vocum & exemplorum reiecimus: ut intelligatur à tenerioribus ingenijs, utpote ea in presens negligi posse. Omnia enim eo modo & moderatone placuit fieri, ut nec esset quo minores gravari, nec deesset tamen, quo maiores & proveciores exerceri possent. Equidem non sum nescius puerilia hæc ac crassa doctorum palatis minus sapitura: Sed ignoscant mihi docti, pueris duntaxat nostris hæc scripsi. Scio cibum puerorum delicatiorum palatis solere raro placere. Sed bonus paterfamilias non desinit ob id, quæ commoda sunt teneris suis alumnis proponere. Cui curæ sunt delicie, selectur delicias suas: nostris abstineat. Laetæ hæc ac rudia (cuiusmodi grammatica omnia debere esse contendo) teneris nostris parata sunt: vescantur firmiore cibo, quibus libet, ac licet: nostra nostris seruiant. Vale.

AD ANDREAM DVNCANUM de ipsius Etymologia.

**S**ub falce est sperata seges, iam spes mihi res est  
Certa, notæ sunt hic divitis ingenij.  
In tenui labor est? inquis? næ gloria facti  
Major, materiem quum superarit opus.  
Nec tenuis labor est, ædem signasse laremve  
Corycidis nymphis, nec sine laude labor.  
Fundamenta locas structuræ firma futuræ:  
Fac etiam tectum moenia juncta ferant.  
Ornamenta potes structuræ tecta serenti  
Induere, & vocum dicere quis numerus.  
Omne in hoc opere est, hic mollia corda moratū,  
Nominis è latebris eripiens etymon  
Fecisti jucunda tuis, DVNCANE, mereri  
Perge tibi quantum gloria Grammaticæ est.

R. W.

*Aliud eiusdem.*

**E**T molem & faciem rebus natura creatis  
Fecit, erat magni numinis istud opus.  
Non ea vis homini, non est imitabile numen:  
Ille prius facta de trabe fingit opus.  
Nec minus, hæc etiã si nusquã cleméta fuissent,  
Ista manus formam, materiem que daret.  
Cede igitur dites pluteos, Duncane, fruamur  
Delicijs docti pluribus ingenij.  
Vtere divitijs animi: sic tu, geniusque  
Iste tuus maneat, cum genioque liber.

R. W. Primarius Collegij Leonardini.



AD ANDREAM DVNCA-  
num virum amiciss. de re  
Gram. scribentem.

*Plus in pondere, quam in specie:*  
iudicium Quintiliani.

**F**undamenta latent, etsi molimine magno.  
Iacta sient, magni laus latet atque operis.  
Succedunt alij supera ad fastigia, quorum  
Lucet honos, oculis ingeriturque hominum.  
Est utriusque labor, sed laus non aqua labori:  
Arbitrio res stet, Quintiliane, tuo.  
Pondere queque suo consent, & in his & in illis  
Non minus est operæ, non minus est meriti.

ALIVD,

Magnos magna decent.  
**A**Vgusto quidnam in terris augustius? & quis,  
Quantusque Iulius fuit?  
Quid Prisci, Festus, Vatro, & vetus ordo Senatæ  
Latinitatis, & Togæ?  
Innumerique alij venientibus ordine saculis  
Doctrina & arte nobiles?  
Atque alios inter Latij magna incrementa  
Quid Scaliger? Quid Lipsius?  
Queis laus magna fuit, scribendo acquirere laudem  
De literis, de vocibus.  
Magnos magna decent. Parvam quis dixerit ergo  
Artem hancce litterariam?  
Te quoq; scribentem quis non Heroibus addat  
De Litteris, de vocibus?  
**I. IONSTONS, S. S. Theol.**  
Professor.

De eodem. T.R.

**V**T flentē in somnos nutrix inducat alumnū  
i murmure demulcet rauco; tacitisq. susurris:  
Os pueri & tenerum formans, balbutis ineptis  
Vocibus: haud aliter se se infra se abjicit auctor:  
Nec sibi, sed pueris prudens se attemperat vni:  
Priscos atque novos, neutrosque imitatus, & ambos

Aliud ejusdem.

**O**Ra habuit mediis arentia Tantalus undis,  
Sustinuit pomis appositisque famem.  
Scotia abundat, eget prima scriptoribus artis,  
Præcipiunt, qua non percipiunt pueri.  
Non hic ad aspectum, sed convivat or ad usum est:  
Esuriem his pomis pellit, aquisque sitim.  
M. T. RAMSÆVS, Minist. Evang.  
Iesu Christi.

ALIVD. I. E.

**S**I Lector petis, ut petis profecto,  
Quid tandem fuit, hic novus magister  
Cur a Grammaticæ rei peritis  
Post tot Grammaticas subindè scriptas,  
Suam istam in medium quoque exhiberet?  
Actum nempe agere hæc potest videri  
In causa, nisi forte credit illud  
Præmam artem benè neminem dedisse:

Nequaquam. Sed adhuc tamen doceri  
Possè illam meliusculè arbitratur.  
quod an præstiterit, tuum est videre.  
Ergo per salebras laboriosas  
Anfractusque, (velut ferunt Vlysem  
Erravisse procul, diuque, donec  
Troiaè ab excidio reverteretur)  
Palantem miserè hætenus tenellam  
DVNCANVS revocare vult juventam,  
Callem in perfacilemque, simplicemque,  
Rectum, molliculumque, perbreveumque.  
Nec non quem rudibus putat tenendum  
Doctorem chorus oppidò virorum.  
Quare quis tetricà amplius senescat  
In Despauterii Schola, teratve  
Doctrinale Dei deindè, qui non  
Malit nunc quoque, frugibus repertis,  
Cum Porcis fatuas vorare glandes.  
*Io. Echlinus, Phil. & eloquent. Professor.*

*Aliud. D. L.*

Qvi parva cupit è scintilla educere flammam  
Non adhibet quævis in nutrimenta, nec vnum  
In cumulum (licet apta igni) quæque obvia cogit:  
Ne nimia depressam extinguat mole favillam.  
Ergo cui ingenij est puerilis cura colendi  
Commisssa: exemplo hoc discas ratione quid annis  
Conveniat recta primis. Num major alendi est  
Corporis infantis virtus nutritis, an illa

Quæ

Quæ tua? dum tenera primaque virefcit in herba  
Ingens illa animi (ut teneri) vis, quam foret, eheu,  
Perdere stultitia scelus, atque injuria summa!  
Euge igitur dilecte probis, DVNCANE, laborem  
Hunc probo, quo veluti præmansis mollia pascis  
Ingenia hæc escis, adhibes parvæque fovendæ  
Scintillæ, & magnæ accendendæ accommoda flammæ,  
Nec teneram prima segetem corrumpis in herba.

*D. Lyndesius, S. S. Theologiæ candidatus.*

*LIBER DE SE.*

Probis placebo: nil moror improbos,  
Nec miror. Heus tu! num Deus ijs placet?

*AD ZOILVM.*

*Si pro sim rudibus: rudes me amabunt:  
Si pro sim rudibus, sapi? probabis:  
Cui ergo, ô Zoile, iure displicebo?*